ACTUS PASSIONALIS,
DE
TRISTITIA
ANIMÆ CHRISTI,
IN GYMNASIO THORUNIENSI
Feria VI. Hebdomadis Magnæ
post Sacra pomeridiana
exhibendus,
Cui ut benevoli intersint,
ea qva par est reverentia & humanitate
MECÆNATES, PATRONOS, SINGULOSQVE BONÆ MENTIS FAVITORES,
PIOSQVE PASSIONIS DOMINICÆ
ÆSTIMATORES
invitant
PROFESSORES ET VISITATORES.

THORUNII,
Excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii
Typographus, Anno 1706.

I. N. J.

LECTURIS

Cum debita cultus & honoris præfatione

S. & O.



HRISTUM vitæ noſtræ ſpiritualis & æternæ Statorem tempore Paſſionis ſuæ cruentiſſimæ æternos infernalesqve dolores in anima ſua ſanctiſſima ſenſiſſe Chriſtianorum & Orthodoxorum Schola devotè credit, licet partim multi intra, partim extra Eccleſiam, ſalutiferum hoc dogma in dubium vocare, & πὺξ καὶ λὰξ pernegare non erubeſcant. De hoc argumento pro ratione temporis & loci ut diſſeramus, prius Controverſiæ Status rectè formandus eſt, ne Andabatarum more videamur pugnare. Prænotanda ergo veniunt ſeqventia. 1.) Chriſtum non tuliſſe cruciatus infernales in πȣ̃ Damnatorum; Infernus qvippe duplex eſt, pœnalis & localis: de illo, non de hoc nobis ſermo eſt. 2.) Chriſtum pro omnibus mortem infernalem verè deguſtaſſe. *Ebr. II. 9.* 3.) Chriſtum non toleraſſe omnes ac ſingulas inferni pœnas, qvales ſunt deſperatio, de gratia DEI Patris dubitatio, blaſphemia, vermis conſcientiæ, & id genus aliæ, qvæ oriuntur è defectu damnatorum, ſuper qvos ira DEI manet in æternum. *Joh. III. 39.* 4.) Chriſtum non poſt, ſed ante mortem, tam in horto Oliveti, qvàm in ara Crucis ignominioſiſſima horrores inferni expertum eſſe, atqve iram DEI peccatis hominum debitam, in innocentiſſima anima ſua ſenſiſſe, qvi divinæ iræ ſenſus, eſt mortis ſecundæ guſtus. 5.) Chriſtum ſubiiſſe mortem æternam, ſed non æternùm, angoresqvè infernales paſſum eſſe, ita tamen, ut non omnes articulos, ſed apices eorum, nec omni duratione, ſed æqvivalenti temporis intervallo ſentiret. 6.) Chriſtum hos intenſiſſimos mœſtitiæ immaniſſimæ angores ſecundùm utramqvè animæ facultatem, Intellectum utpote atqve voluntatem, pertuliſſe; Cùm enim ſecundùm utramqvè animæ δύναμιν homines peccatis ſint commaculati, iramqvè DEI juſtiſſimi promereantur, adeoqvè graviſſimis conſcientiæ morſibus infeſtentur, æqvum omninò erat, ut ſecundùm utramqvè animæ δύναμιν infinitus triſtaretur Chriſtus, ne in triſtitia & angore ſeculis nullis terminando conſtitueremur. His præmiſſis & cum vera fidei analogia conſonis hypotheſibus facili negotio orthodoxa Theſis defenditur, qvod ſanctiſſima Chriſti anima in profundiſſima Exinanitione ſua cruciatus infernales pro nobis verè ſuſtinuerit. Et ſane: Nonne in Chriſto ſenſus ac guſtus internorum, ſpiritualium atqvè infernalium dolorum erat, in qvo περιλυπία, ἐκθάμβησις & ἀδημονία in excellentiſſimo gradu apparebat? Ἐκθαμβεῖσθαι. *Matth. XXVI. 6.* Ἀδημονεῖν. *Marc. XIV. 33.* Λυπεῖσθαι. *Luc. XXII. 44.* denotant vehementiam cruciatuum, ut humana lingva eos nunqvam eloqvi, nedum cogitatio comprehendere qveat. Inde triſtitiam ſuam arctiſſimam intimamqvè ſignificaturus in horto inqvit: Περίλυπός ἐςιν ἡ ψυχή μȣ ἕως θανάτȣ. *Matth. XXVI. 38.* Deinde negari non poteſt, nos ſupplicia infernalia propter admiſſa ſcelera luere debuiſſe, niſi illa Chriſtus

pro

pro nobis sustinuisset verè. Et hoc sensu factus est nostri vice κατάρα, sive maledictum. *Gal. III. 13.* ut nos à maledictione Legis divinæ & inferni liberos assereret, qvod fieri non potuit alia via, nisi per Passionem suam doloribus infernalibus plenam. Porro, si Christus verè suscepit in se omnia peccata nostra, *Esa. LIII. 4.* Unde etiam à Johanne Baptista Agnus DEI vocatur, qvi tollit peccata mundi, *Joh. I. 29.* pœnas infernales simul sustinuisse ipsum oportuit, nam hæ cum peccatis nondum expiatis, individuo nexu conjunctæ sunt. Nemo autem negare potest, qvod Christus omnia peccata nostra susceperit in se, ideò nec sustinebit negare, qvod etiam pœnas peccatis debitas toleraverit. Qvo respectu opera Diaboli destruxisse dicitur, I. *Joh.* III. *8.* inter qvæ etiam mors locum obtinet: non autem temporariam abolevit, hac enim omnes homines perire necessum erat, restat, ut liberati simus à morte æterna, qvam gustavit mortis æternæ destructor. Proinde cùm nos miseri peccatores æterna supplicia propter admissa scelera luere debuimus, illa Christum pro nobis verè sustinuisse piè credendum est; Alias si iram DEI & dolores infernales non sensit, neqve peccata nostra tulit: Ira qvippe DEI & infernales pœnæ sunt necessarium conseqvens peccatorum; Sin peccata nostra non pertulit, qvomodo poterimus esse liberi à morte spirituali & æterna? Cùm autem Servator noster plenissimè sufficientissimè atqve efficacissimè pro nobis satisfecit, omnes etiam pœnas nostras & cruciatus sustinuit. Multa in Codice sacro reperimus exempla eorum, qvi adversus atrocitatem peccatorum atrocissima senserunt supplicia, ut in Cataclysmo, in πανωλεθρείᾳ Sodomæ & Gommorrhæ, in interitu Core, Datan & Abiram, ac in desolatione Hierosolymorum, sed hæc vix comparari possunt eis, qvibus DEUS Pater Filium suum tempore Passionis innocentissimæ affecit. Sancti etiam Viri iram DEI contra peccata gravissimam senserunt, nullus tamen in orbe unqvam inventus est, qvi tanti ponderis tulit, qvanti Christus. Illi tantùm iræ divinæ guttulam primis labiis degustarunt, Christus autem totum ac immensum corpore & anima pœnarum infinitarum exhausit Oceanum. Et hæc est ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων τῶν λόγων, non nova & inaudita impietas, ut R. Bellarm. L. IV. de Christi anima cap. 8. loqvitur, de qva Esaias ante DCC. annos (ad Passionem Christi calculum ducendo) vaticinatus est Cap. LIII. 8. *Propter prævaricationem populi mei plaga Ei.* Ideò præcedenti v. 3. ab eodem Vate vocatur איש מכאבות Vir dolorum. Hinc verba Jeremiæ, qvæ Thren. I. 12. leguntur, ex asse tum potuit facere sua: *Vos omnes transeuntes viam, aspicite & videte, an sit dolor meus, qvi factus est mihi, qvoniam mœstitia affecit Dominus in die iræ nasi sui,* ex Versione B. A. Montani. Profectò locus, in qvo Christi anima circumqvaqvè tristis erat, non hortus, sed infernus fere dicendus est. In horto amœnitatem & delectationem animorum qværimus, *Sap.* I. *7. 8.* Sed hîc nihil aliud Christum manebat, qvàm summa omnium virium imbecillitas, totius animæ dissolutio, ingens tristitia, angor, tremor, terror & horror. De hac tristitia, qvam Christus in anima sua tempore Exinanitionis suæ tristissimæ pertulit, pluribus dicturi sunt novelli nostri Oratores,

qvi

qvi Dispositionibus prævïis proprio Marte de eodem argumento concinnarunt Προγυμνάσματα Oratoria, eaqvè seqventi ordine recitabunt:

PETRUS DZIKOVIUS, Thorunensis, expendit rationes, qvare Christus Passionis suæ initium in horto fecerit.

JOH. JAC. DüSTEL, Stargardiensis Borussus, Græco sermone explanat Tristitiam Christi, qvam in anima sensit.

JOH. GEORG. ZOEBNER, Thorun. idem argumentum fusiore styli elegantia texit.

SALOMON ERNEST. LüTKEN, Thor. remotas Tristitiæ hujus causas enucleat.

AD. PHILIP. BURSCHIUS, Friedlandiâ - Pomerellus, easdem causas Lingva Pelasga continuat.

EPHRAIM OLOFF, Thor. Latinam earundem interpretationem subjicit.

GEORG. HENR. CZIMMERMANN, Thorun. propinqvas mœstitiæ Christi causas enodat, Auditoribusqvè OO. OO. sacras faustasqvè Ferias Paschales precatur.

Ut igitur conatibus his faveant, Oratoresqvè nostros præsentia sua animent, Magnifici Civitatis hujus Proceres, Dn. BURGGRABIUS REGIUS, Dni PRO - CONSULES, SCHOLARCHÆ & CONSULES, Experientiss. Medici, Adm. Rever. Verbi Divini Ministri, Spectabiles Scabini, aliiqvè Musarum Cultores & Fautores submissè, observanter atqve officiosè rogantur. PP. Dom. Palmarum, Anno M. DCC. VI.

